



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum V. Super eo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

² Notandum secundò : Prælatus contra Clericos Concubenarios, aliòsve delinquentes, plerumque non statim excommunicationis censuram minari debet, sed priùs sub suspensionis aut interdicti censura præcipere, eamque actualiter contumacibus inferre; postea verò, si adhuc in crimine perseverent, ad graviores pœnas vel censuras, videlicet excommunicationis & privationis seu depositionis devenire, prout docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 1. n. 6.* Dixi autem *plerumque*, quia in atrocibus aut valde perniciosis sceleribus majorem severitatem adhibere decet.

³ Notandum terciò : Si valde multi Clerici eodem delicti genere deliquerunt, tunc aliquibus eorum, qui graviùs peccarunt, ordinaria Ecclesiastica pœna, v. g. excommunicationis aut depositionis, inferri potest, ita ut alij horum exemplo tectantur, qui tamen non omnino impuniti abire debent, sed mitiùs castigari, *juxta c. latores 4. de Clerico excommunicato*, vide, quæ dixi *lib. 2. tra. 3. c. 12. n. 7. v. quin imò.*

CAPITULUM IV.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui concubinas habent, diligenter moneri debent ab Episcopo, ut eas removeant, & iterum non recipiant; sin autem parere contempserint, à beneficijs Ecclesiasticis usque ad satisfactionem congruam sunt suspendendi; denique, si adhuc eas retinere præsumperint, ab iisdem beneficijs in perpetuum removendi. Vide, quæ dicta sunt *in c. ut Clericorum. 13. Tit. præcedente.*

Notandum. Crescente contumaciâ crescere debet etiam pœna. Ita *Gl. finalis hic. & habetur in c. ult. in fine, ut livo non contestat. & L. relegati 4. ff. de pœnis*, ubi dicitur, quòd contumaciâ cumulat pœnam.

CAPITULUM V.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Presbyter ab Archiepiscopo suo, eò quòd concubinam haberet, ab officio suspensus fuit, de hoc scribit Alex. tertius hîc. Si ab ipso appellatum sit, atque ad Sedem Apostolicam venire ipsum contigerit, quòd pertinaciam & audaciam ejus, prout justum fuerit, punire velit; sin verò non accesserit, tunc suspensionis censuram tamdiu ab eo servari mandet Episcopus, donec concubinam dimiserit, & castè atque decenter vixerit: porò subjungit Papa, si contingat, ut Presbyter ille litteras Apostolicas præsentet, quæ facti seriem non contineant, eas ipsi prodessè non debere.

Notandum. Litteræ de absolutione testantes nihil profunt appellanti, nisi facti species in illis exprimatur.

CAPITULUM VI.

Si autem.

PARAPHRASIS.

Scribit hîc Alex. tertius ad Londonensem Episcopum, si Clerici ejus jurisdictioni subjecti, sive in sacris Ordinibus, sive in minoribus constituti, fornicarias detineant, atque post alteram, vel tertiam monitionem, se non correxerint, ita ut aliam monitionem admittunt non videantur, tum eos Ecclesijs, vel portionibus Ecclesiarum proventibus privet, atque ab officio suspendat.

CAPITULUM VII.

Vestra.

PARAPHRASIS.

Consultus fuit Lucius tertius propter Clericos concubenarios, num eorum missas fidelibus audire liceat, quandoquidem de ea re in antiquioribus Canonibus diversa